

† A. R. P. Thomas Zapletal.

(*Prov. Prag.*).

† A. R. P. Thomas Zapletal.


(*Prov. Prag.*).

Campanae Sacri Montis Příbramensis festo die SS. Corporis Christi a. 1925 hora post meridiem quarta sonantes non festivam sollemnitatem, sed magnum luctum audientibus nuntiarunt, eum scilicet vita cecidisse, qui fidelis Sacri Montis Beatae Virginis custos fuisset omnemque curam impendisset, ut Mons sacer novo instauratus splendore ad festa bis saecularia Thaumaturgae suae a Ven. Capitulo Vaticano aurea corona decoratae post paucos annos celebranda praepararetur.

Domus Zapletalorum in vico Senička archidioecesis Olomucensis in Moravia splendore catholicae fidei illustris erat. Pater Antonius, agricola opulentus, apud omnes in magna aestimatione erat, multos annos decurionibus vici praefuit, at simul summa pietate peregrinationes sacras ad loca pia deducere in deliciis habuit, in vita tum privata tum publica hominis catholici exempla semper prodidit, ita ut P. Tomášek noster eum hominem optimi exempli per contiones praedicare non dubitaret. Nec minore laude mater Anna digna fuit. In hac domo vere catholica liberi prae ceteris ad pietatem educabantur. Preces matutinae vespertinaeque ab omnibus pariter dicebantur, per adventum quadragesimamque rosarium cotidie recitabatur. Ad s. missae sacrificium, quamquam ecclesia a domo

paterna satis distabat, cotidie, si fieri potuit, properabant. Diebus dominicis festisque parentes interrogando argumentum contionis auditaе liberis exquirebant, et si quis respondere non potuit, iusculo sorpto a mensa recedere iussus est.

In tali familia quid mirum, quod filii optime educati Dei servitium elegerunt? Frater maior Franciscus sacerdos saecularis factus diu collegio



bohemo Romae praefuit, nunc celeberrimi capituli collegiati Vyšehradensis Pragmae praepositus est, minor Thomas Congregationem nostram elegit, in qua Deo serviret. Thomas puer indole fuit hilara et iocosa, at desiderio sacerdotii capessendi ab infantia paene tenebatur. Cum soror, quae matris mature mortuae vices gessit, saepius nimiam hilaritatem alacritatemque eius exprobraret adiceretque eum hanc ob rem ad statum sacerdotalem non fore aptum, puer Thomas lacrimans se defendit confirmavitque nullum alium vitae statum se secuturum esse, ceterum sacerdoti potius convenire hilaritatem quam maestitiam. Iam tum autem id unum ob oculos ei versabatur, ut sacerdos optimus fieret, non saecularis, sed

religiosus et missionarius. Quo nomine soli Patres nostri in illa regione apud populum noti erant. Horum autem missionariorum collegium in Červenka situm familia haec piissima optime noverat. Sollemnitatum enim temporibus omnes eo veniebant, apud Patres nostros confitebantur, pater superiorum praesertim familiaritate usus est.

Studia gymnasialia Thomas Olomucii absolvit. Quo facto rogavit, ut in noviciatum admitteretur. Examine quodam vocationis apud Rectorem Červenkensem P. Masopust superato anni 1889 autumno Eggenburgum in noviciatum profectus est, quem statim summa gravitate et animi veritate incepit. Primo die in recreatione socio suo tabacum fumandi causa convolutum (*sigaro*), quo, ut cui pecunia non deesset, optime se instruxerat, comiter obtulit. Sed cum audivisset illi consuetudini in Congregatione renuntiandum esse, omnem eius rei copiam per fenestram proiecit. Magister, cum sine dubio novicium perspexisset, haud raro humilitatis abnegationisque sui exercendae ei occasionem satis duram praebuisse videtur. Ita annus ille acerbitatibus non caruit, sed novicius rerum aeternarum meditatione assiduisque orationibus confirmatus perseveravit ac die 17 septembris a. 1890 professionis religiosae vota fecit.

In studentatu Fr. Zapletal indolis suae utramque partem servavit, animum quidem scilicet hilarum ac facetum, ita ut, si quid salse ac lepide in studentatu factum erat, praefectus statim Fr. Zapletal auctorem rei esse suspicaretur, sed etiam severam illam officiorum religiosorum fidem, quam in noviciatu didicerat, ita ut superiores magnam de eo conciperent opinionem. Qua in re narrant eum quondam barbam forte tondentem, cum a sodali praefectum se arcessi iussisse comperisset, faciem celeriter lavisset et ita barba semitonsa ad praefectum properavisse, ne eius mandata neglegere videretur.

Die 10 augusti a. 1894 sacerdotio auctus ac studiis absolutis autumnus anni sequentis Leobium ad alterum noviciatum peragendum missus est. Inde die 31 ianuarii 1896 in collegium B. Mariae V. Sacromontanum abiit, ubi labores apostolicos inciperet. Corpore sano ac procero, voce clara ac forti, dotibus naturae studioque assiduo, Dei gratia iuvante mox missionarii validi ac popularis nomen adeptus est. In Monte Sacro usque ad annum 1903 mansit, quo anno Pragam et post quattuor annos Plsnam migravit, ubi superiori a consiliis et tamquam minister inter primas novae domus columnas esset.

Ad novam Plsnae domum, quae in collegii nostri usum empta erat, statim nova in honorem S. Ioannis Nepomuceni ecclesia aedificari coepta erat, sed post primum operarum fabrilium annum, cum pecuniae deessent, labores oportuit intermitteri, quod P. Zapletal aegerrime tulit. Anno itaque 1909 ipse Superior creatus statim divina providentia confisus operam repetere decrevit. Coetu ecclesiae aedificandae ope Patris Mixa constituto nova ecclesia duobus annis post, die 22 septembris 1911, consecrata est. Qua re P. Zapletal tanto gaudio repletus est, ut, cum in turri campanae primum sonuissent, lacrimas tenere non posset. Aedificio constructo eodem studio ecclesiam exornare aggressus artifices optimos elegit, qui artium suarum operibus eam vestirent, ita ut, cum a. 1918 Plsnam relinqueret, ecclesia omnibus rebus ad cultum divinum necessariis optime instructa esset.

Anno 1918 ad regendam domum S. P. N. Alphonsi in Červenka vocatus est, tempore curarum ac periculorum pleno, cum imperio austriaco dilapso constitutaque libera re publica čechoslovaca simul multorum animi febris ecclesiae catholicae infesta concitati essent. Rumores divulgati erant in collegium nostrum ab hominibus omnium bonorum communionem appetentibus (communistas eos vulgo dicunt) impetum factum iri minitantes. Rector, ut periculum evitaret, vasa vestimentaue sacra in domo familiae cuiusdam piaae seponenda curavit. At latibulo prodito arcae omnes cum vasis vestimentisque sacris a custodibus publicis ad praefecturam asportatae sunt. Nec deerant, qui domum nostram in valetudinarium, ecclesiam in theatrum, quod nunc vocabulo graeco cinematographum appellant, com-

mutandas esse censerent, iamque medicus publicus domum nostram inviserat, ut cognosceret, num locus valetudinario cinematographoque idoneus esset. At prudentia simul ac fortitudine Rectoris pericula superata, vasa et vestimenta sacra reddita, domus et ecclesia servatae sunt. Ipse Rector autem angores tum sollicitudinesque ingentes perpessus est, ita ut ipse confessus esset se noctem illam, quae rerum sacrarum iacturam minabatur, in tota vita sua pessimam habuisse.

Červenka domus iuvenatus erat. Cum autem primo illo post bellum finitum tempore omnium rerum ad vitam necessarium inopia premeremur, de iuvenatu ad tempus intermittendo iuvenibusque in domos suas dimitendis cogitabatur. Tum vero P. Rector Zapletal restitit se non permisurum esse confirmans, ut se rectore iuvenatus sepultus esse diceretur, ac sollicitus summis curis res ad victum cultumque necessarias conquisivit, donec tempora difficillima superata sunt. Ita vere tunc iuvenatum servavisse dicendus est.

Ad magnos labores apostolicos ex illa domo Červenkensi multum exire non potuit, cum praeter curas illas, de quibus diximus, in genu tumore primum, deinde cordis vitio laboraret, ad quod mox arteriarum sclerosis, quam dicunt, accessit. Domi vero in moderandis congregationibus marianis et tertio ordine S. Francisci, nec non verbo Dei praedicando, multam adhuc operam praestitit.

Denique, ubi operam suam apostolicam incohavit, ibi ea perfuncturus erat. Anno enim 1921 collegii Sacromontani Rector creatus est. In Sacro Monte, qui inter loca sancta Bohemiae primaria numeratur (conf. *Anal.*, III, pag. 118 ss.), per bellum primisque post bellum finitum annis caeli et temporis iniuriis mederi non potuit, ita ut et aedificia affligerentur et imagines in porticus aperti parietibus depictae aliaque artis opera non parva damna caperent ac periculum esset, ne Sacer Mons neglectus in ruinam collaberetur. Hoc eo magis animos Rectoris amicorumque S. Montis commovit, quod bis centesimus annus appropinquabat, ex quo die festo Assumptionis B. Mariae Virginis a. 1732 gratiosa Deiparae effigies cum Iesu Infante a Ven. Capitulo Vaticano pretiosissimis aureis gemmatisque coronis decorata est. Rector itaque operis necessitatem perspicens, quae erat acrimonia atque industria, rem arduam restaurandi venerabilis sacrarii statim in se suscepit. Die 2 novembris a. 1921 collegium quoddam cultorum S. Montis (*Matice svatohorská*) institutum est, quod pecuniis colligendis omnique ope adhibita id ageret, ut Mons Sacer ad festa bis centenaria digno honore splendens demonstraret, quo amore populus Bohemus caelestem suam Matrem ac Patronam prosequeretur, quantique gentis suae palladium aestimaret. Vere igitur a. 1922 manus ad labores admotae sunt. Et eodem ac sequentibus annis res fortiter gesta est, ita ut a. 1924 maxima pars ambitus inferioris superiorisque instaurata, tecta et utraque

turris resecta, novum altare marmoreum exstructum esset, quo milites in bello occisi grata memoria colerentur. Ac mira sane res fuit, quod in temporibus arduis inopiae calamitatisque publicae, inter vexationes atque calumnias inimicorum fidei et apostatarum in catholicos coniectas summa pecuniae necessaria, quae his tribus annis coronarum 1.312.000 superabat, facili negotio confluit. Ad quem felicem eventum multum contulit libellus singulis mensibus in lucem prodiens (*Scatá Hora*), qui Patris Zapletal consilio adumbratus a Patribus nostris dirigitur et Beatae Virginis Montisque Sacri cultum in populo non tantum conservat, sed etiam provehit, auget diffunditque.

At opus grande tam feliciter inceptum P. Zapletal Deo ita hominum labores disponente aliis perficiendum reliquit, ipse vero e vita terrestri a Domino avocatus est. Die 8 iunii Rector neque ad meditationem vespertinam, neque ad cenam cum communitate venit. Sed quia aeger haud raro prius lectum petere cogebatur, minister ceterique sodales eum iam cubitum ivisse putaverunt. Precibus tandem vespertinis absolutis frater quidam laicus cubiculum eius intravit, ut videret, num quid opus haberet. At Rectorem ad mensam scriptoriam in terra prostratum invenit iam mortuum. Medicus statim arcessitus paralyti cerebri eum occubuisse confirmavit. In mensa breviarium apertum inventum est, e quo officium diei sequentis usque ad laudes recitaverat. Psalmos vero laudum cum choris caelestibus cantaturus erat.

Festo SS. Corporis Christi episcopus auxiliaris Pragensis Ant. Podlaha defuncti corpus ritibus sacris in sepulchro reposuit, comitantibus funus eius quadraginta sacerdotibus, coetibus catholicis civitatis multisque milibus hominum lugentium.

In P. Zapletal maxime fides intrepida ac firma fiducia in Deo et B. Mariae Virginis patrocinio collocata enituit. Ea fultus praesertim in exstruenda ecclesia Plnsensi et Sacro Monte instaurando res maximas obtinuit, quas perfici non posse crederes.

Per totam vitam religiosam, ut sodalis testatur, qui animum eius optime noverat, orandi assiduitatem servavit. Cum aliis praeesse iussus esset, peculiari supplicatione Spiritum Sanctum rogavit, ut gratiam subditos recte regendi obtineret. In periculis ac difficultatibus in communitatem ingruentibus litanis simul cum sodalibus recitandis SS. Cordis Iesu auxilium petiit. In vigilia primae cuiusque mensis feriae sextae uti ipso die mane et vespere ad meditationem coram effigie SS. Cordis instituendam cereos omnes accendi voluit. Nec minus rosarium B. Mariae V. amavit, quod eum sive in choro, sive in sacristia, sive cum in horto domusve porticu ambularet, manu tenentem ac pie sancteque recitantem saepissime videres.

Dum aliis praeest, praesertim postremis vitae annis, magno erga subditos amore praestitit. Verbulo benigno vel etiam ioco aliquem recreare numquam omisit. Saepe ipse dictitavit metuere se, ne quondam ob nimiam indulgentiam poenae in purgatorio sibi luendae essent; at potius ob nimiam benignitatem se puniri velle confirmavit, quam ut quisquam culpa sua affligeretur, vel etiam Congregationem desereret. Nec nimio labore subditos onerare voluit. Dum vires integrae erant, ipse laborum apostolicorum bonam partem ipse suscipere amavit. Cum autem aegra valetudine prohiberetur, domi laboravit ne a vilioribus quidem ministeriis abhorrens ac parvas etiam functiones benedictionesque in ecclesia exercens.

Beatam itaque Virginem, quam tantopere dilexit, in cuius aedem sacram digne ac splendide exornandam ultimam maximamque curam impendit, prece potenti impetrasse confidimus, ut ad Agni thronum laudes aeternas cantare mereatur. R. i. p.!